



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**


**Ulm, 1725**

Fasciculus XXXIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

stineri posset. Taceo plura proculcata à Deo arrogantia & superbia exempla. Rectè ergo de arrogantibus, & alios temerè spernentibus regius cantat Vates Psal. 72. *dejecisti eos, dum elevarentur.* In quæ verba S. Greg. M. hæc scribit: *non ait, dejecisti eos, postquam elevati sunt, sed dum elevarentur: quia hoc ipsum est superbis, interiùs dejici, quòd eis falsa contingit gloriâ elevari.* Christiane Lector! si & tu à Spiritu elationis in altum ductus, meliorem te aliis judicasti: ne Deo, qui instar Davidis paratos semper habet vindictæ Ministros, celeres pœnas exsolvas cum *Nabal*, imitare facti pœnitens *Abigaëlem*, mulierem prudentissimam uxorem *Nabal*, festinans ergò descende de asino superbia & arrogantia tuæ, & affectu submissionis procide super faciem tuam, desinens esse superbus *Nabal*, qui teste S. Scripturâ v. 25. citati cap. *juxta Nomen suum stultus est.* Hòc factò amorem Divini Davidis adeò in te provocabis: ut ille animam tuam spirituali Matrimonio per gratiam sibi sit conjuncturus, sicut David dicitur ad carnale Matrimonium invitasse *Abigaëlem* v. 40. hujus cap.



## FASCICULUS XXXIX.

### Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

#### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 26. 27. & 28. lib. I. Regum, in quibus describitur secunda condonatio & misericordia, Sauli à Davide exhibita, & à Saule ipso laudata. Consilium Saulis à Pybonissa petitum. Nuntium de futura morte.*

Considera I. **Q**uanti Roboris sit mansuetudo, dum ex Saule juratissimo Davidis hoste, non tantum amicum ipsius, sed etiam patrem effecit: agnoscens enim Saul beneficium condonatae sibi vitæ exclamavit c. 26. dicens: *peccavi! revertere fili mi David, nequaquam ultra tibi malesciam. Apparet, quòd stultè egerim, & ignoraverim.* Ethnicus ille centurio, qui crudeli lanceâ crucifixi Salvatoris

toris pectus rimari cœperat, *videns, quia sic clamans, id est; non debitam exposcendò vindictam, sed rogandò patrem pro venia, exspirasset, adeò commotum se sensit, ut dixerit: verè hic homo filius Dei erat.* Marci 15. nec hoc solummodò divinæ mansuetudinis dederat indicium Christus, sed præter innumera alia, quæ per totam vitam exhibuerat, illud vel maximè admirandum est, quod in monte oliveti contigit. Quando nefandum proditorem amicâ voce allocutus est, inquires: *amice! ad quid venisti?* Sciebat quò animò, quò pede venisset scelestum caput, infidò videlicet & crudeli, ut se ovem mansuetissimam rapacibus lupis proderet, neque tamen aut acriori eum pupugit voce, aut graviori pœnâ mulctavit, quin omnem de eo vindictam prohibens, a creaturis inferendam, *amicum* appellavit: ut quam verbis olim inculcaverat Doctrinam, tam evidenti exemplò discipulis comprobaret Filium in hac virtute secutâ Mater Virginea, licet doloris gladium sentiret in pectore, licet mille probra in filium suum à Judæis effusa audiret, nec verbum tamen audita est reponere austeritatem redolens, adeò ut S. Bernardus Serm. 4. super Miss. dicat: *Revolve Scriptura seriem, & si quid in Maria austerum repereris, de cetero eam suspectam habeas.* S. Bonaventura ejusdem Sacratissimæ Virginis stupendam mansuetudinem perpendens asserit in Specul. c. 8. Maria mansuetissima fuit per patientissimam lenitatem, contra omnem adversitatem: gladius quidem cor ejus pertransiit, sed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit. Nec tamen miror, quòd Mater Virginea & Christus ejusdem filius hanc virtutem præ aliis sibi adeò commendatam habuerint. Vivebant ambo non sibi, sed aliorum hominum salutis, ad quam procurandam aptissimum fore medium mansuetudinem probè sciverant. Evenire nonnunquam solet: industrium artis sculptoriæ Magistrum offendere in terra lignum, rude, durum, deforme, solò dignum igne; & tamen ab illo assumptus iste truncus, arte & industriâ Magistri eximiam quandam pulchræ statuæ induit imaginem, haud secus contingit: ex hominibus odio, irâque repletis, atque vindictam totò affectu spirantibus, si hominis virtuosi mansuetudo interyenerit, effici ex lupo agnum, ex accipitre columbam. Hoc probavit eventus in Agilone S. Columbani discipulo. Ibat ille Theodoricum Regem, viro Dei summè indignatum placaturus. Et hem! in itinere obvium habet hominem, qui strictò gladio ei intentabat mortem; sed divinâ agitur Providentiâ, sacrilegam illicò exarescere manum,

manum, injuriam verò Agilon lubentî animo condonans, sanitati manum reddidit. Quod insigne mansuetudinis exemplum, ut regiis insonuit auribus, Theodoricus petitis omnibus Agilonis annuit, Columbanô in gratiam receptô. Robertus Santarellus *Poter. polit. teste lib. 1. c. 8.* dum terram sanctam lustrans, è sepulchro Domini, in Montem Sinam pergeret, in Assyrios latrones incidit. Quid ageret Dux, hostilibûs furiis circumseptus? socios suos sarcinulas & peram explicare jubet, ac prandium exponi, ad quod humanissimè barbaros invitat. Hi inusitatâ mansuetudine victi, omnem illicò exuere furorem, & gratiis actis recessere. Talibûs exemplis & tu victus Christiane, verbis S. Chrysostomi t. 6. Etlogæ te alloquentis, morem gere, ubi ait: *Si quando in manus inimicum tuum nactus fueris, ne cogites, ut ipsum ulciscens, & infinitis contumeliis afficiens ejicias, sed ut ipsum cures: ut ad mansuetudinem ipsum inducas. Nec prius omnia facere, & dicere desistas, donec crudelitatem ipsius bonitate tuâ superes.* Adamas in pulvino confringitur, fulmina in lana & lino eliduntur, saevissimi que maris fluctus mollî arenâ sedati requiescunt; sic sermo bonus hosti rabido objectus, iram extinguit, furorem sedat, inimicum in amicum mirâ metamorphosâ transmutat, hastamque, quam cum Saule strinxerat, ei aufert: adcò, ut agnitô errore exclamare cum illo cogatur v. 17. citati cap. *nunquid vox tua fili mi?*

*Considera 2.* Quàm severè Deus intonet in homines, mandatis **N. 260.** suis non obtemperantes: dum Sauli exercitûs sui stragem, Regni totius jacturam, filiorumque cædem denunciari voluit, ea de causa inferendam teste S. Scripturâ c. 28. *quia non obedisti voci Domini.* Jonas Propheta divinô Præceptô in Niniven ablegatus, ut peccanti populo comminaretur supplicium, post quadraginta dies obventurum: cum is mandatum hoc quasi surdâ aure exceptum negligeret exsequi, profectus in *Tharsis*, è navi in mare dejectus cessit in prædam Balenæ. Et verò in pœnam violatæ obedientiæ Deo debitæ, non tantum supplicia imminere temporalia, sed etiam æterna, luculenter probat Apostolus, dum Rom. 13. ait: *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* & S. Laurent. Justin. de pestifera voluntate propria, ad inobedienciæ actus nos frequenter instigante asserit c. 4. de ligno vitæ: *Propterea ipsa est, quæ Paradisum spoliat, Infernum dicitur, sanguinem Christi evacuat, & Ditioni Diaboli mundum subjugat.* Quare Protoparentes nostri suâ inobedienciâ Tartarum promeriti, ut liberum obtinerent ecclestis

lestis Paradisi aditum, per exactam nongentorum annorum obedientiam peccatum antiquæ contumaciæ abolere debebant. ò Christiane Lector! si illi propter unicum inobedientiæ actum promeruerè non temporales tantùm, sed etiam æternas Inferni pœnas, quales tu promeruisti, tot repetitis actibus Deo tuo rebellis? si illi tam numerosâ annorum serie inobedientiæ suæ maculam expurgare coacti sunt, quid à te exigetur? absque *Pythone* divinari tibi potero cum *Saule* interitum, si cum eo perstiteris in tua inobedientiâ; ad extrema vitæ deductus exclamabis cum illo v. 15. citati cap. *Coardtor nimis: siquidem Philistym* (Dæmones videlicet inobedientiæ meæ testes & vindices) *pugnant adversum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit.*

## Doctrina 2.

*Desumpta ex residuis capitibus lib. 1. Regum, in quibus describitur Diffidentia Philistaorum erga David, Divinitus immissa, cujus causa jussus est relinquere eorum exercitum. Querela famuli Amalecita, à Domino suo deserti. Saulis & filiorum caedes &c.*

N. 261. Considera 1. **I**Nsigne Providentiæ divinæ Prodigium, erat David, ut verba S. Scripturæ testantur c. 29. in statu perplexo & periculosissimo positus, certè coactus: vel Regis sui proditorem, si in prælio ad Saulem & Hebræos deficeret, vel apertum patriæ suæ & civium suorum hostem agere, si contra eos cum Philistæis pugnaret. Quare in specialem Davidis gratiam immissa divinitus est Philistæis diffidentia, de ejus fidelitate, & hinc jussus redire domum. Meritò igitur S. Ambros. Orat. in Auxent. de Basilic. tradend. exclamat: *Servum Dei non custodia temporalis, sed Domini Providentia sepire consuevit; & ipse David non isthoc tantùm divinæ Providentiæ signum, sed sexcenta alia expertus cantat Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* quæ verba explicans Hugo Cardin. asserit: *regit ut Dux viatorem, ut lux in tenebris ambulantem, ne exorbitet; ut pastor gregem, ne à lupis pereat. Dominus regit me ut navem, ut Regnum, ut exercitum, ut cœcum, ut equum &c.* Hinc Christiane Lector verbis te alloquor Salomonis Proverb. 3. dicentis: *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. Unica sollicitudo tua sit, ut fidelem imitandò Davidem, quærere ex te possis cum illo, ex Achis quærere v. 8. cit. cap. quid feci? & quid invenisti in servo tuo à die, quâ sui in conspectu*

specu tuo usque in diem hanc? si Dæmones variis te impugnent tenta-  
tionibus, aderit tibi divina Providentia, gladium subministrans, quâ  
trucides mactesque omnes. Si corpus tuum vexent morbi, aderit Pro-  
videntia divina tibi præbens pharmaca, quibus sanitatem recuperes,  
dummodo animæ tuæ salutem corporis admiserit. Si prema-  
ris alimentorum inopiâ, aderit Providentia divina, quæ te *enutriet, non  
datura in æternum fluctuationem iusto.*

*Confidera 2.* Mundi hujus amatores ad ultima vitæ deductos con- *N. 262.*  
queri posse eisdem penè Verbis, quibus Domini sui ingratitude  
conquestus est cap. 30. v. 13. Ægyptius servus viri Amalecitiæ, dicens:  
*Dereliquit me Dominus, quia egrotare cœpi.* Derelinquit enim tunc tempo-  
ris ambitiosum honor, superbum gloria, avarum thesaurus, gulosum  
cibus, ebrium potus, lascivum voluptas, desidiosum quies. *Quæres ab  
impio,* ait S. Ambros. in Lucam, Regna & opes, quæ parâsti, cujus hæc  
erunt? *respondet:* heu! non mea amplius erunt, sed aliorum. Erat divitum  
aliquis teste S. Bernardinô Serm. 12. de 12. doloribus mortis scripto,  
qui morte jam ostium pulsante iussit thesauros omnes, quibus abun-  
daverat, sibi afferri. Hos dolorosè complexus talibus alloquebatur  
verbis: *ò denarii mei! ò thesauri mei! en morior! juvate me quæso! quid? dere-  
linquar à vobis dilecti mei? tenebat eos, palpabat eos, osculabatur eos.*  
Demum arreptô vase argenteo, illud quasi rabidis morsibus stringens,  
miserè exspiravit. Loquatur ipse Saul, ad supremum mundanæ glo-  
riæ apicem evectus Rex, quid auxilii expertus sit à divitiis, ab hono-  
ribus, à Regnis, quando necatis filiis, prostratô exercitu lethaliter vul-  
neratus ipse animam agere cœpit? hoc unicum à mundo sibi tunc  
obsequium impendi optabat v. 4. cap. 31. Percuti ab armigero suo,  
ne ab hostibus interceptus, moreretur inglorius. Verùm neque hoc,  
etsi crudele obsequium, mundus ei præstitit. Quare proprii corporis  
cruentum carnificem acturus, arripuit gladium v. 4. cit. *capitis & ir-  
ruit super eum &c.* ò Christiane! hæc considerans, audi quæso verba  
S. Laurentii Justin. de virtute fidei sic loquentis: *ò prevaricatores re-  
vertimini ad cor. Intelligite non intelligentes: quia omnes promissiones mundi se-  
ductoria sunt, omnes blanditiæ venena, cuncta delectationes pocula  
mortalia, viæque ejus sempiterna  
mors.*

Z z

Doctri-

## Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Regum, in quibus describitur Mandatum Davidis de tacenda Saulis cade, & exercitûs Israëlitiçi ruina. Planctus super Jonatham. Inauguratio Davidis, ejus cura de interfectorum sepultura. Asaëlis mors illata per Abnerem &c.*

N. 263. Considera 1. **Q**UOD si David noluerit publicum casum, Saulis videlicet & totius exercitûs stragem evulgari, severe imperans cap. 1. v. 20. *Nolite annuntiare in Geth &c.* Quanto magis oporteat, tecta retinere proximorum peccata, quæ in publicum sparta illorum famæ forent nociva. Christus Dominus in Cœna ultima dicturus Joan. 13. *Unus ex vobis tradet me.* Turbatus est spiritu, crimen proditoris etiam tacitò nomine ejus proditurus. Mortem Saphyræ aliquot horarum spatiò nemo nunciaverat marito; tantum de domestico malo erat silentium, etsi in apertis præsentium oculis res acta fuisset. Teste Philosophò: nullum reperire est animal, quod non aliquam sui corporis partem gerat debilem atque infirmam: sin autem ex eo quæras, ubinam in corpore natura tale locaverit membrum? reponet ille: *Partes infirmiores semper natura tegere consuevit.* Concludes inde, si in naturalibus, quæ culpâ carent, & in quibus sine animi vitio vitium datur, tam studiosè & solerter defectus obteguntur, quanto studiò tegi oporteat morales proximorum defectus, quos constat vitio non carere, plerumque infamiam pariente. Apelles Antigonum, faciè aliàs pulcherrimum, sed coclitem depicturus, semiversum depinxit; interrogatus autem, cur Regem absque innato ei defectu pinxisset? responso dedit: *si illum sine illo possum pingere, cur non pingam?* haud aliter te geras Christiane Lector, si de proximi tui vita quæris? semiversum depinge, tacendò crimina, quæ in eo reperis bonæ famæ injuria; illa tantum facta narrandò, quæ vel augendæ vel conservandæ æstimationi deserviunt. Taliter S. Lucas pictor ille Sanctus & insignis depinxit non penicillò, sed calamò Matthæum, occultandò hoc ipsum nomen, quando publicanum vocavit, occultandò pariter nomen Mariæ, quando peccatricem nominavit. Flendum tibi est cum *filiabus Israël* super infami morte Saulis, hoc est super peccato mortali, quod cum periculo infamiæ patravit proximus tuus. Non de eo est

est loquendum cum aliis, sed cum Davide secretò dicendum citati cap. v. 26. *Doleo super te frater mi Jonatha!* displicentiæ gladiò interficiendus est: ille homo, qui instar Amalecitiæ miserrimum Saulis casum, id est confratris tui lapsum, ausus fuerit propalare.

*Considera* 2. Davidem in Regem solemniter unctum, non cogitasse de constituendis Aulae suæ Ministris, de conducendis militibus, de ædificandis fortalitiis, de duplicandis Urbium præsiidiis, de augendis thesauris camerae regiae & similibus negotiis, quæ noviter electos & inunctos Reges primò locò occupant. Sed ut nuntiatum est ei: viros Galaad sepelisse Saulum, misit teste S. Scripturâ cap. 2. v. 5. *Nuncios ad viros Galaad, dixitque ad eos: benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelivistis eum.* Erat ergò prima & principalis cura Davidis misericordiæ opus, defuncto Sauli etsi juratissimo suo hosti impendendum, quod haud dubiè nullis parcens sumptibus præstitisset ipse: nî ab aliis jam præstitum fuisse intellexisset, v. 7. citati cap. inquit: *Sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* Sciebat David hoc misericordiæ opus tanti apud Deum esse pretii, ut ipsemet mediantibùs Angelis eò perfunctus sit, dum Scriptura Deuteron. 34. testatur: *Mortuus est Moyses jubente Dominò & sepelivir eum &c. & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* S. Ambrosius, ut nos animaret ad hoc gratissimum Deo Ministerium, corporibus defunctorum fidelium impendendum, de Tobia scribens, calamum in hæc verba acuit: *Nihil hoc officio præstantius ei conferre poter, qui tibi jam possit reddere, vindicare à volatilibus. vindicare à bestiis consortem naturæ.* S. Nicomedes Martyr eò quòd corpus S. Felicis V. & M. sepulturæ mandasset, & S. Justinus Presbyter ob tumulatum S. Laurentii Corpus coronam Martyrii mercedis locò accepere à Deo. Marianus incidens in cadaver hominis recenter occisi, & ex motivo charitatis Christianæ illud terræ mandans, etsi de scelere patrati à se ipso homicidii in suspicionem tractus, mortis sententiam in se ferri audiret: attamen reò hujus criminis divinâ providentiâ detectò, absolutus Ipse successu temporis Imperii Sceptum obrinuit, adhuc Pulcheriam Theodosii sororem in conjugem nactus, ut testantur annales Eccles. An. 450. Hæc exemplacordi ducens Christiane Lector moveberis utique ad paria misericordiæ opera, si occasio dederit, proximis impendenda, certus: non te perditurum mercedem. Noli ergo eos imitari, qui transeuntes locum, in quo mortuus ceciderat Asaël, ab Abner hastâ transfossus v. 23. cit. capit,



pitis, oculos magis spectandò cadaver, quàm manus sepeliendò illud occupaverant. Sed illos sequere, qui v. 32. ejusdem cap. Afaëlem sepulchro paterno intulère.

## Doctrina 4.

*Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 2. Regum, in quibus describitur quaestio Abneris à Davide Amicitia. Abneris Isbosethique mors. Davidis unctio super Israël, promittentis premium illi, qui percussisset Jebusaum, & abstulisset cæcos & claudos &c.*

N. 265. *Considera* 1. **C**hristianos tunc fore pios charosque Deo, quando instar Abner negare poterunt: se naturam canum induisse, dicente v. 8. capitis 3. *Nunquid canis caput ego sum? cùm enim constet testimoniò S. Petri: toties hominem imitari canem, quoties in peccata pristina relabitur; hinc pariter constat, quam paucos reperire sit, qui canum naturam non sequantur. Nam ut asserit Justus Lipsius lib. 5. de milit. Rom. Dialog. 20. Cetera animantes ubi semel offenderint, cavent; non vulpes ad laqueum, non lupus ad foveam - temerè redit, solus homo ab ayo in avum peccat verè eisdem. Sunt ergo homines proh dolor atque pudor! ipsis bestiis ratione carentibus, & merò appetitu brutali ductis insanores, dum in præcipitia ruunt, quæ animalia tam cautò pede vitant. Quam ergò veniam habebimus, dicam cum S. Chrysostomo Homil. 15. ad Populum, quam defensionem: cùm brutis simus dementiones? Dionysius Carthus. observat. S. Petrum similitudinem canis, redeuntis ad vomitum desumpsisse ex Salomone, addendò aliam, à se ipso excogitatam de sue volutabro immerisa. Verba hujus D. sunt in 2. Petri 2. Quòd verò adjungitur: ut sus lota in volutabro luti, Princeps Apostolorum de suo apposuit, valdeque aptè; nam sicut ex tali lotione efficitur porca sordidior, quàm fuerat ante, ita ex recidiva gravius homo inquinatur. O Christiane Lector, quàm frequenter fit; Deum te instar Abner alloqui per sanctas inspirationes tanquam per nuntios ad te missos dicens: fac mecum amicitias, pœnitendò de peccatis. & erit manus mea tecum v. 12. capitis cit. Te verò vocanti responderè quidem verbis & factis: ego faciam tecum amicitias, versu citatò. Sed quàm parvò temporis intervallò durat hæc facta amicitia, dum in antiqua citò relaberis peccata, canem ad vomitum redeuntem, & suam in volutabro luti lotam imi-*

imitans. Quin imò talem te brevì amicum probas erga Deum tuum; qualem se Joab hìc probavit erga Abner; vix enim occasionem nactus, priora repetendò peccata Deum de novo maestas, sicque coram te Christus corruit; *sicut solent credere coram filiis iniquitatis &c. v. 34.* capitis cit. Timendum sanè: te toties in antiqua peccata relabentem, tandem indormiturum cum *Isboeth* cap. 4. v. 7. & à morte, instar Sicarii domum latenter ingressa necatum, ad Tartara deferendum esse, terrorem tibi incutiat Historia, quæ non multis abhinc annis contigit, quam fusiùs nonnihìl le Janue Serm. 43. n. 10. describit, ego autem pro more meo quasi in compendium redactam tibi trado. In pago propè Urbem Burgundiæ Divionem vivebat vir, nobilissimò sanguine clarus, sed ob peccata identidem repetita obscurissimus. Is tandem lethali correptus morbò, cum moneretur, ut noxas Sacerdoti aperiret, nec tamen induci posset, repente in velis, quæ lecto prætexebantur, grandioribùs verbis exarata, videt, legitque verba: *Quærite Dominum, dum inveniri potest. Æger* putans, arte Parochi hæc verba scripta esse, jubet ocuis illa auferri. At nemo domesticorum erat, qui ea cerneret. Ut tamen quietem obtineret æger, sublati velis nova appenduntur. Cùm ecce! in novis velis nova ab ægro legitur Scriptura, hæc verba referens: *queretis me, & non invenietis.* Nondum ad pœnitentiam excitatus æger, jubet & hæc vela cum aliis mutari: quò factò videt demum hæc verba sibi in illis objici: *in peccato vestro moriemini* quæ ut legit, vivere desiit tantò ædium suarum ortò fragore, ut funditus everti viderentur. Cadaver verò ex oculis, nullà sui parte relictà, totum evanuit. Spectaculo autem qui intererant, tantò perculli sunt horrore, ut vidua cum filiabus Monacharum Theresianarum, filius verò Capuccinorum ordinem ingrederentur.

*Considera 2.* Mysteriò non carere: quòd Deus Templò suò abesse *N. 266:* præceperit claudos, dicente S. Scripturà c. 5. v. 8. *Claudus non intrabit in Templum.* Per claudos enim moralem spectandò sensum intelliguntur illi, qui Deo ita serviunt, ut Diabolum nolint offendere, in hos acri sermone invehitur Elias Propheta 3. Reg. c. 18. asserens: *usquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Balaam sequimini illum.* Hæc verba consonant verbis Christi Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odiò habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum condemnet.* Sicut Sponsa alteri Amasio etiam minimum in camera & cùbili suo concedens angulum fit de adulte-

rio suspecta: ita Christianus, qui mediante peccato vel inordinatō affectu ad res terrenas copiam facit Dæmoni, peccus suam occupandi, juxta Ezechieli effatum cap. 16. *quasi mulier adultera reputabitur, quæ super virum suum inducit alienos.* Aquila inter imunda animalia primō locō numeratur, licet avis sit aspectu solis firmissima, volatu velocissima, amica syderum. Causam hujus assignat Origenes Homil. 7. in Levit. 11. dum ait: *ex mortuis vivit* q. d. Aquila cum amor lucis jungat appetitum ad foetentes bestiarum carnes; hinc indigna est Deo offerri in sacrificium, suavem odorem daturum. Quæ olim Christus Judæis sese capere volentibus objecerat, cuilibet Christiano objicit inquit: Joan. 18. *Si me queritis, sinite hos abire.* Sinite abire inordinatum affectum erga Mamōn, si Christum queritis pauperem. Sinite abire appetitum ad Venere, si Christum queritis castum &c Te quoque Christiane Lector compellat verbis citati capituli v. 6. *Non ingredieris huc, videlicet in amicitiam meam, nisi abstuleris cacos, & claudos.* Quare à te auferri vult, omnia sculptilia v. 21. *relicta à Philistym,* ab inordinato videlicet rerum temporalium appetitu, & deliciarum carnalium amore, ut hīs spoliatus dicere valeas cum Petro: *Tu scis Domine, quia amo te.*



## FASCICULUS XL.

### Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

#### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. 2. Regum, in quibus describitur Michol illudens Davidi circa Arcam saltanti. Davidis Humilitas. Victoria ejus de Philistæis obtenta. Dominium super omne Israël.*

N. 267. Considera 1.

**Q**UOD licet Davidis circa Arcam saltantis actio videatur omnibus ejus triumphis laudabilior: adeo, ut S. Greg. M. in hac prorumpat verba: *Ego Davidem plus saltantem stupeo, quam pugnantem.* Nihilominus à Michol reprobi